(6)

PLVTONIS Concilium.

EX

INITIO QVARTI LIBRI

Solymeidos.

LONDINI
Apud Johannem Wolfium.
1584.

STC 23702

PLVTONIS
Concilium.

EX

INSTITIO QVARTI LIBRI

Solymeidos.

LONDINI
Apud Johannem Wolfium.
1584.

1026:15

PHILIPPO SIDNEIO VIRO GENERE AC VIRTVTE *PERILLVSTRI*

SCIPIVS GENTILIS *S. P. D.*

EA est humanitas tua, Philippe Sidnei, ea voluntatis in me, fratremq; meum Albericum propensio: vt cum omnium minimè referre tibi gratiam aliquam possim, tum omnium cogitem maxime. quod etsi probe intelligere te arbitror: do tamen operam, & dabo, quamdiu viuam, vt alij quoq; intelligant. Ad eā rem verò nihil mihi videtur esse monumētis literarū aptius. quibus illud fere consequimur solis, vt paulò plures sint, qui animi nostri perspiciant erga alium obseruantiā, & cultum: quàm qui eorum studia, qui ad eundem virum omni genere officii prosequendum non plus fortasse, quàm nos, voluntatis, sed plus multò mutæ à literis afferunt & facultatis, & copiæ. Itaque sine etiam ipse tu me capere hunc fructum obseruantiæ meæ maximum, vt vnus e præcipuis studiosis tuarum virtutum cognoscar: & da veniam, obsecro, si id qualicunque indicio, ac

teſtimonio coner efficere literarum. Cum per otium, & per eruditionem pluſculum potero (ſi per hanc tamen vnquam quicquam potero): offeretur tibi forſan à me, quod non plane indignũ hac luce nominis tui, & celebritate videatur. Interim Plutonium iſthuc cõcilium lubẽs cape, quaſi auream quandam (Taſsi enim eſt) reuerentiæ in te meæ capedinẽ: in qua (vt cũ Iuriſconſultis meis loquar) incruſtationem tantum, & emblemata quædam dici volo mea. O dignam natali Chriſti die ſtrenam, dicet aliquis. Imò verò digniſsimam, inquam ego. Nihil eſt enim magis optandum in rebus humanis, quàm ob eandem cauſam & nos ſumma lætitia: & eos, cum quibus ſunt nobis immortales à natura, & à religione contractæ inimicitiæ, ſummis doloribus, & cruciatibus affici. Dolet autem, atque excruciatur Pluton eo, quo nos maximè exultamus, aduentu, & aditu in hanc vitam ſeruatoris Dei. & dolet iis modis, quos Poeta ingenioſiſsimus cõfingere de ſuo potuit, ego conſequi imitando non potui, pęne diuinos. Hæc ideò velim dicta eſſe à me, ne ego in VValſingamias ædes, quæ non ſolum ipſæ per ſeſe clariſsimę ſunt, honoribus partis ampliſsimæ, Sidneiorũ verò affinitate feliciſsimę: verumetiam domeſtica diſciplina præter cæteras ſanctiſsimæ, aliquid alienum ab hoc tempore, & cultu pietatis intuliſſe viderer. Vale. *LONDINI*

PLVTONIS CONCILIVM.

ARGVMENTVM.

Bello Sacro, Christiani penè iam omnem materiam fabricandis machinis bellicis, quib. Hierosolyma oppugnarentur, in nemore proximo succiderant, molemque præ cæteris maximam contexuerant. Quod Pluton cum vidisset, veritus ne continuò vrbs caperetur, statuit obuiam ire. Concilium itaque fingitur dæmonum suorum coegisse, orationemque habuisse, qua eos ad Christianarum legionum perniciem vltimam cohortatus est.

TAlibus Hesperiam cœptis insistere pubem,
Nigrantem in syluam liuentia lumina torquens
Prospexit Pluton: iamq; altam surgere molem,
Iam pugnare viros, studijsq; afflictus ouantum,
Labra sibi, palmasq; furens vtrasque momordit.
Ac veluti taurus ferro malè cæsus ad aram
Mugitus ciet horrificos: sic ille dolore
Infremuit, gemitumq; alto de pectore rupit.
Inde animis horum in seram conuersus iniquis
Perniciem pestemq; virûm, per muta locorum
Imperat horrendum prima intrà limina cogi

Concîlium, & toto manes Acheronte cieri.
Demens, qui ſuperûm regi ſe conferat, & ſe
Poſſe putet fixas fato conuellere leges:
Nec memor et quanta ille ſuos iaculatus in hoſtes
Fulmina vi quondam fuerit, quibus arſerit iris.
Iamq; vocans atri ciues tuba ferrea regni
Murmure Tartareo mugit: quo protinus Orci
Intremuit domus, & vaſtæ inſonuêre lacunæ.
Nec ſic aëryis fulmen regionibus actum
Diſcludit celſas ſtridenti verbere turres:
Nec ſic obnixu ventorum, animæq; coactæ
Fœta tremit minitans tellus. Haud fit mora: manes
Conuenêre citi, varijsq; ad regia turmis
Vndique tecta ruunt, & nigris poſtibus adſunt.
Heu quàm terribiles formæ! qui ſplendor in ipſis
Eſt oculis! quantos gemitus, clademq; minantur!
Hic nexus, gyrosq; trahit per humum: ille ferarum
Vnguibus in morem fiſſis veſtigia ſignat,
Implexis horrens humana in fronte colubris.
Pone autem villisq; carens immenſaq; cauda
Porrigitur, longique ſinus de more flagelli
Euoluitque legitque, & ſontes territat vmbras.
Hìc mille aſpiceres armatas igne Chimæras,
Harpyasque, & Centauros, Scillasque uoraces
Succinctas latrante canum niuea inguina turba,
Sphyngéſque, Hydraſque, & pallenti Gorgonas ore:
Collaque cæruleis Pithonum ſibila ſquammis:
Hîc Polyphemus adeſt, hìc illa tripectora ſurgit

Geryonis

Geryonis facies, & centimani Briarei:
Monstraque diuersis aliter connexa figuris,
Non vnquam vsurpata oculis, non auribus vnquam.
Considunt: pars ad dextram, pars altera læuam.
Ipse sedet medius Pluton, ferróque grauatum
Sustinet, & scabra exesum rubigine sceptrum.
Nec tantum aërij scopuli, deruptáue cautes,
Aspera nec tantùm Calpe, nec pinifer Atlas
Erigitur: quin ceu collis videatur ad altum
Regnatorem Erebi plano subsidere campo.
Sic frontem anguineis vallatam cornibus effert.
Olli fastum alti maiestas horrida vultus,
Terrorémque animis, loca sola colentibus, auget.
Et gemina in morem lugubris clara Comætæ
Lumina suffusóque igni, saniéque rubescunt.
At mentum & malas ingens, atque hispida barba,
Densaque conuestit: setisque astantibus hirtum
In pectus proiecta fluit. patet oris hiantis
Sanguine fœdum atro, vastaque voragine guttur.
Quales sulfureo commixti turbine fumi,
Atque ignes, atque ater odos è faucibus Ætnæ
Cum gemitu expirant: talis se se halitus ore
Effundit fœdo, & sonitu commixta fauilla.
Quo dicente, sinu Cocytus restitit atro,
Et custos vlulare canis cessauit, & hydra
Muta metu stetit, ac nigræ intonuêre cauernæ:
Murmureq; hoc ingens verborum immugijt antrum.
TARTAREI proceres, digni melioribus oris,

Et complere alti gemmata ſedilia cœli,
Vnde genus trahitis: quos mecum caſus in iſta
Horrida clauſtra olim regnis felicibus egit.
Conatus noſtri ingentes, aduerſaq; nobis
Suſpicio, veteresq; ſuperni numinis iræ,
Nota nimis ſunt, & nimium memorare neceſſe eſt.
Ille ſuo verſat nunc candida ſidera nutu:
Ille polo regnat. nos hoſtes, atque rebelles
Ducimur. ille idem pura pro luce diei,
Pro ſole aureo, pro ſtellantis circulo axis,
Carcere nos tætro, cæcoq; incluſit Auerno.
Ne quiſquam noſtrûm ad ſummos aſpiret honores.
Ille dehinc (heù quam durum, indignumq; relatu eſt:
Hoc eſt, hoc, noſtrum fœdè quod vulnus acerbat)
Ille dehinc hominem cœleſti in ſede locauit,
De vili argilla, atq; informi puluere fictum.
Nec ſatis. ipſum etiam natum crudelibus vmbris
Mactandum, ſuperis genitor demiſit ab aſtris,
Noſtra in damna furens. venit Deus: atraque fregit
Limina, Tartareaſque impulſo cardine portas.
Auſus & in noſtris veſtigia ponere regnis,
Tot mihi ſorte datas animas, tot debita fato
Lumina detraxit: ſpoliiſque Acherontis onuſtus,
Contemptum in noſtrum victor cæleſtibus oris
Signa triumphati pandit pallentia Ditis.
Sed quid ego antiquos fando renouare dolores
Inſequor? & notas demens iterare querelas?
Aut quibus hæc ille in terris, quo tempore ceſſat,

Moliri?

Moliri? ſat iam, ſat cœli iniuria nobis
Explorata vetus. præſenti appellere mentes
Nunc deceat. nec enim (credo) neſcitis, vt omnes
Ille ſui ad cultum gentes reuocare laboret.
Nobis pigra dies, & inertis vita trahetur:
Nullaque in amiſſum ſtimulis accendet amaris
Cura decus. ſempérne nouas acquirere vires
Heſperias domito turmas Oriente ſinemus?
Imperioq; ſuo ſolymam ſubiungere gentem?
Ille ſuos latè terris diffundat honores?
Atque alias hominum linguas? alia æra? nouumq;
Impleat egregio conciſum nomine marmor?
Noſtra autem contra pedibus diſiecta prophanis
Prouolui ſimulachra ſolo patiemur? & vni
Thure calere omnes, cæſisq; bidentibus aras?
Vni aurum, myrrhamq; dari? ſuſpenſaq; ſacro
Stare tholo? & memori ſignari carmine vota?
Atque vbi iam nobis per terras cuncta patebant
Atria templorum, & luci: nunc artibus ille,
Et noſtris impunè dolis obſepiat omnes
Ille vias? vacuaſque domos, & inania Pluton
Regna colam, cenſus animarum, & ſanguinis expers?
Non ita: namque etſi ſegnis, torpénſque reſedit:
Non tamen in vobis extinctus tabuit ardor,
Ille prior: cùm iam ferro, flammíſque ſub auras
Accincti, ſuperas contrà pugnauimus arces.
Congreſſu (fateor) victi diſceſſimus illo.
At non noſtra altis tum virtus defuit auſis:

Inuictisque animis ſtetimus: quæ gloria nobis
Vno parta die, nullo delebitur æuo.
Vincere quicquid ei dederit, caſuſúe doluſúe.
Verum agite vnanimes Erebo nunc ite. (quid vltra
Conqueror? & veſtras nequicquam demoror iras?)
Ite mei ſocij, mea fida potentia: ſontes
Opprimite, atque Aſiæ creſcentem extinguite flammam.
Ante Palæſtina, ante omnis quàm flagret Idume,
Ieſſeæque ruant arces. nunc fraudibus vſus,
Nunc opus eſt animis. ſupero vos reddite cœlo,
Et medijs miſcete viris. hic caſtra relinquat
Exul, & ignotis Arabum vagus erret arenis.
Ille cadat: Veneris curis hic mollibus vndans,
Effigie vt ſacra diuûm, mortalis ab ore
Pendeat, allóquio, riſuúe eluſus amico.
Fatum eſto, quodcunque volo. tela, horrida tela
Ductorem in patrium dextræ conuerſa rebelles
Diuisæque ferant acies. pugnentque, cadantque.
Omnes. nulla huius ſuperent veſtigia motus.
Vix ea fatus erat: cùm illi nil verba morati
Vltima, proſiluêre: Chaos, noctemque profundam
Linquentes, cœlique auras, atque aſtra petentes.
Speluncis veluti patrijs cùm fortè procella
Turbine ventorum vario, fremitúque ſonoro
Acta ruit: terras, pelagique natantia regna
Verrit, agens imbrem, ſubtexítque æthera nimbis.
Haud aliter curua hi noctis regione feruntur,
Et geminas tollunt pennis ſtridentibus alas.

Diſper-

Dispersique Asia in magna noua condere furta
Incipiunt, variosque dolos, & mille nocendi
Secum quisque artes fœcundo in pectore versant.

FINIS.

LECTORI

OBrepsère mihi per incuriam in editione libri primi syllabæ duæ. Altera est pag. sec. ibi, Si velis. Altera in dictione longè. *Harum namque vocum vltimas corripui contra ius. Itaque pro, si velis, vestituo, si libet. Alteri nihil nunc habeo, quod in tribus locis surrogem. & liquidò iurare videor posse, inueniri exempla apud Poetas, quibus corripiatur. Cæterum et ab ijs plerumq; semper, & a me semel in eodem opere producitur.*